

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 16.

Elysiūm-Meum.-Die Veneris 24. Mart. 1809. (Neov 7 Mart. 1809)

Parisiis die 2. Martii. Ex duobus diebus Imperator Palatium Elysiūm in vico S. Honorii incolit.

Senatus Conservator nudius tertius congregatus est. Hujus Diarium memorat: Eadem Propositionem substratam esse in argumento Hetruriæ ad dignitatem Generalis Præfecturæ sub nomine Magni Ducatus evehendæ.

Hodiernus Monitor complectitur XXXIII Nunciūm Exercitus in Hispania.

Ephemerides Lipsienses sequ. memorabile argumentum de Incolis Imperii Austriaci continent:

„Non Incolarum modo numerus, verum præcipue Cultura, moralisque status Incolarum alicujus Civitatis vires ejus efficit. Homo moraliter cultus inexhaustibili fonte pollet virium, contra ferus & incultus vires admodum limitatas habet, ille paullo excellentius terrena in hac vita spectat; partibus proin sibi incumbentibus defungitur, quantumvis expletio obligationum vitæ jacturam comitem habeat; hic terrenæ hujus vitæ voluptate ultra modum tentus pusillanimis honorisque expers ubertim muneris potiora sui obliviscitur.

Vires Austriæ per novissima bella, & ea secutas Cessiones: Belgii, Lombardiæ, Ty-

rolis &c. potenter labefactatæ sunt *physicæ*; verum *morales* fortassis plus *increvere*, ac *defecere*. *Subditi* quippe *regimine suo contenti*, *Imperantem diligunt suum, callentque, principi curæ suæ eum salutem eorum ducere, perfecti proin eum fiducia prosequuntur.* Secundum *Cel. Bisinger* universum Imperium Austriacum 22 adhuc *milliones 318,585* Incolarum censet, posset vero 28—30 *milliones* abunde *intertenerere*. *Cel. Rohrer* numerum Incolarum Austriæ statuit 23,234,640, & *D. Lichtentern* ad 24,905,000 æstimat. Ex his *Hungariæ* obtingunt secundum *laudatum Bisinger* 6,458,909; *Gallicia Orientalis* sibi *vendicat*: 3,454,503. *Bohemiæ* cedunt: 3,013,914 *Transylvania* continet: 1493925 *Moraviæ* accensentur: 1,363,817, *Gallicia occidentalis* numerat: 1,188,998; e. s. p.

Vindobona circiter 300,000 Incolarum tenet, eam excipit *Praga* cum 80000, hanc *Leopolis* 50000 *Incolas* censens, e quibus 13000 *Israelitæ*.

Verum in nullo *Europæo* *Statu* tanta reperitur *Incolarum* *originis* *diversitas* quam in *Austria*. *Intuitu* *hujus* *tres* *deprehenduntur* *Nationes* *principales*; *diversæ* *Accessoriæ*. *Principalibus* *adnumerantur*: *Slavi*, *Germani* & *Hungari*. *Slavicæ* *originis* *populi* *omnium* *sunt* *numerossimi*, *siquidem* *12* *milliones* *efficiant*, *singulari* *se* *hoc* *hominum* *genus* *distinguit* *propagandi* *vi*, *nam* *ubi* *Slavi* *Germanis* *aut* *Hungaris* *assident*, *brevi* *post* *ab* *his* *absorbentur*. *Diversæ* *species* *hujus* *gentis* *sunt*: *Czechi* *in* *Bohemia*, *Honaki* *in* *Moravia*, *Slavi* *in* *Moravia* & *Hungaria*, *Rusniæ*;

in Gallicia, Chrowati in Croatia, Wendi in Styria Inferiore, Carinthia, Carniolia, Polonia &c.

Incolæ germanicæ originis ad 3,600000 excurrunt, quorum Sedes in Archi Ducatu Austriæ, Salisburgensi, & Berchtesgada, Styria Superiore, maxima Carinthiæ parte, parte Carniæ, tum limitaneis versus Franconi- am, Saxoniam, Silesiam e. s. p. provinciis Bohemiæ.

Germanos in ratione numeri consequuntur Hungari, quorum numerus ad summum 3,340,0000 efficit.

Residui Incolæ Austriæ ad accessorias nationes referuntur; utpote: Walachi, Macedonii numero 870,000, tum 300,000 Judæi, Itali 65000, Armeni 60000, Zingari 30,000, porro Valonii, Bulgari & p. a. Diversitas hæc nationum, magnam quoque varietatem linguarum comitem habet, & profecto: in nullo Europæ Statu, præter Russiam, tam multæ, & multifariæ linguæ florent, quam in Austria, quo fit: ut Austriaci intuitu facilitatis promptitudinisque peregrinas linguas sibi familiares reddendi cunctis Europæ nationibus præsent.

Quod Religionem attinet; Incolæ Austriæ dispescuntur in Christianos & nonChristianos. Illi: Catholici, Protestantes, Græci; non Uniti, Anabaptistæ, Unitarii. Catholicus in Romani, Græci & Armeni ritus subdividuntur. Protestantes in Lutheranos & Reformatos. Non Christiani sunt: Judæi & Mahomedani.

Roma die 8. Jan. Bachanalia hoc anno non videntur fervere; quamquam Galli, probabiliter ad vexandum regimen pontificum eorum navam rationem habeant; jam 17. Dec. anonymus prodiit, in Ephemeridibus a Pontificio regimine reprobatis, Articulus, quo hilarium Chorearumque Curatores provocati ad provisiones faciendas, siquidem Bachanalia certo celebranda sint. Sequenti die Edicto vetuit Pontifex subditis quoquomodo in hilaribus partem capere, in memoriam revocans veteres Christianos; *qui orare non cessarunt, Petro in Carcere detento* — at hoc Edictum Jussu Gallorum e vestigio per satellites detractum est. Die 3. Jan. tandem eo prolapsi Galli: ut in Capitolio asservatos tapetes, quibus ædes Curus, occasione traductionis exornandi mos est, violenta manu apprehenderint, & Conservatorem urbis carcerem minantes compulerint ad officiosas in Bachiferiis ei incumbentes functiones exercendas. Adversus hanc usurpationem Secretarius Status Paces sub 5. Jan. plenas dignitate ad Generalem Ducem Miollis expedivit litteras. —

Aliquot ante diebus veniam memoratus Dux petebat, suam Sanctitatem cum suo Generali Stabo coram venerandi, vota occasione festorum depromendi, verum sanctissimus pater talem honorem litteris deprecatus est, quibus admodum sapienter personæ privatæ adjuncta D. Generalis Ducis, a publicæ officio discernere novit.

Hæc & id genus litteralia documenta de manu ad manum, atiamen maxima cum circumspectione feruntur.

M i s c e l l a n e a.

Ephemeris: Imperator de 5. Martii, & cum his pleræque Gallicæ paginæ, sequ. singularem & monstrositate sua lectione dignum continent Articulum:

Vienna 19. Febr. „Nupero Domini militia tuendæ patriæ in vallis exercitabatur. Impossibile est lepidius spectaculum cogitare. Cruda imperitia tabernalium nostrorum sodalium legio militares motus instituit, scolisque usa, adeo in oculos incidit, ut sane continere animum non potuerit spectator, ne miseratione motus humeros contrahat; atque hæc sunt invictæ illæ legiones, quæ triumphatoribus ad Ulmam, & Marengo opponi deberent!”

Lupi continuo tempore, ad ipsas metropoleos portas enormes devastationes perficiunt. Hesterno eorum seni deprehensi hastarum lancearum pugionumque vulneribus confossi. Ex eo tempore, quo proxime iis sena Calceorum paria, & aliquot vestimenta reperta compertum: aliquos infelices milites, pluribus lupis cæsis, ab alio rapacium horum animalium grege invasos, devoratosque fuisse.

Ita ad verbum uterque Articulus cum diplomatico rigore hic expressus, & paricum rigore versus ex Gallicis ephemeridibus. Si hæc in Itinere Münchhausenii celebris Men-

daciorum . . . architecti continerentur, enimvero propalam fanatico ingenio oblectaremur; ad appendicem dignam historię memorabilis suę Chlamidis, a feris rabidis morsę, quę ipsa rabiem contraxerat. —

Roma die 17. Febr. Ex prioribus litteris meminerit D. V. violentorum mediorum, quibus Galli indulgere ad Bachanalia adversus legitimi ab ipsis agniti regiminis voluntatem ad effectum perducenda audiat, quęso, rei exitum & juxta mecum admirabitur Romanos his in adjunctis multam animi fortitudinem, auctoritatemque pręferentium. Edictum de Bachanalibus promulgatur, quo diserte pręcipitur: vestes bachanales confestim veni exponendas esse. Tabernacula violente eriguntur, Pallio ita dictum bravium pro equo velocissimo occasione Cursus, tributum a Judęis pendendum ab iis vi extortum; — circus mundatus arenaque conspersus. Dies pręfixus advenit. Universi pręsidiarii Gallicani egrediuntur domibus, duos in Circo Ordines efformantes, at at, fornices ipsi clausi, fenestrę & oeci obserati, — nemo partem capit de indicta Solennitate, nulla Rheda, nulla larvata persona comparet, pegmata pro populo erecta vacua sunt, pauci Romani negotiorum causa in plateis versantes, lodiculis involuti oberrant. Pauci Trantiberani, pœnitentiales instituunt processiones. Gallici etiam artifices magnos adparatus fecerunt pro pompa Bachantium, verum sub his adjunctis, e re minime duxerunt comparare, Hilarięque

sua probabiliter occulte celebrarunt. Vesperis septima hora duos inter ordines militum septem equi emti currebant, dum vero Bravium Domino victoris equi deferretur, a plebe lapidibus, lutoque exceptum est; id vero singulare prorsus, ac lepidum: Quasvis formalitates exacte observatas esse, ita signum datum ad initium Cursus, & ad finem ejusdem mortaria accurate solvebantur, quamquam nulla Rheda comparuerit; excubiæ obequitarunt, spatique & ordinis Causa circum ultro citroque obibant, quamquam nec unus quidem mortalium adfuerit. — Summus Pontifex forti plenaque dignitatis agendi ratione sua quotidie amorem populi sui sibi devincit, qui nequaquam meretur jugo premi vacillantis, levis, inconstantisque nationis.

(*Ex publicis paginis.*)

Nuncium Turcicum Vindobona. Adversæ tempestates, Britannicum legatum & pacis negotiatorem Adair per plures dies in Helesponto navigio, obsequiis ejus destinato, Hypopotamo, continuerunt. Interea eidem singularis honoris exhibendi gratia, a sublimi Porta unum navigium Imperatoris quinto jam die obviam missum fuit, quo is quinta Januarii, eodem die, quo anno 1799 notam offensivum & defensivum fœdus cura Porta Otomannica initum est, is inquam cum mandatario Turcico, Tractatum pacis concluderat. Paullopost interdictum de evehendis & invehendis Angliæ mercibus plene abrogatum est.

Aeque ratione destituitur; Senatum Turcicum per novam, & cruentam seditionem Janitscharorum, ad conficiendam hanc pacem adactum esse, quemadmodum plures publicæ paginae, memorant, id perinde fide caret a Russico Præfecto, ob hanc pacem Commercium, quod ad hoc usque Tempus in & ex Turcicis provinciis, viguit suspensum esse.

Parisiis die 22. Febr. Procella, quæ in pluribus regionibus Rhæni & Moeni pavorem circumtulit, nec Parisios anxietate vacuam reliquit. Id prospere evenit: procellam hanc, quæ hac anni parte rara quidem, non tamen singularis adparatio est, aliquot diebus ex prænunciato partis mundi interitu orta sit; secus in præsenti irritatorum animorum statu sequelas tristes excitare potuisset. Vicinia Martis, & Veneris, terribilesque eluviones in omnibus partibus borealis, & australis Europæ diras devastationes [patrantes, horrendam Catastrophen portenderunt. In nonnullis regionibus hæc procella certissimus prodromus occidentis mundi habebatur. In aliquibus Rhæni plagis integræ familiæ rus confugerunt, tutiores ibi se futuras autumantes, quam inter pomoeria peccantium urbium.
